W c
802

130

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-773581-p0001-1

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-773581-p0002-7

Wc 802, 2° 7 K

Weim.

SVB FELICITATIS FVTVRAE OMINIBVS

# SERENISSIMO CELSISSIMO PRINCIPE ERNESTO AVGVSTO CONSTANTINO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM
ANGARIAE ET WESTPHALIAE
LANDGRAVIO THVRINGIAE MARCHIONE MISNIAE
PRINCIPALIS DIGNITATIS COMITE HENNEBERGICO
COMITE MARCAE ET RAVENSBERGAE
DYNASTA RAVENSTEINII REL.
ACADEMIAE IENENSIS
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
PRINCIPE ET DOMINO NOSTRO
CLEMENTISSIMO
POST FASCES VTRIVSQVE PRINCIPATVS
AVSPICATO SVMPTOS
*SEDEM SVAM VINARIAM*
DIE XXIV IAN. MDCCLVI
OVANTER INGRESSO
AD SOLEMNIA ILL. GYMNASII
INTER PRECES
ET
ACCLAMATIONES VOTIVAS
*DIE VI FEBR. HORA IX MATVTINA MDCCLVI*
PIE CONCELEBRANDA
AC
GRATIOSE HVMANITERQVE AVSCVLTANDAM
DECLAMATIONEM GRATVLABVNDI PVBLICAM
SVO ET COLLEGARVM NOMINE

OBSERVANTISSIME OFFICIOSISSIME
AMANTISSIME

INVITAT

M. IACOBVS CARPOV
ILL. GYMNASII VINARIENSIS DIRECTOR MATHEM. P. P.
REGIAE BORVSSICAE ACADEMIAE SCIENTIARVM
COLLEGA.

24/1 1756

*VINARIAE,*
LITTERIS MVMBACHIANIS.

130. 1,875

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-773581-p0003-2

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-773581-p0004-8

Tametſi
in infinita rerum varietate
ab infinita ſapientia profecta natura
ſemper ſibi eſt ſimilis:
ita tamen Deus
mentium humanarum indolem ingeniumque,
vt
vnius et eiusdem boni perceptio
animi commotiones, longe a ſe inuicem diſtantes, producat,
formauit.
Si bonum percipis, vt futurum,
ſpes;
ſi, vt diu dilatum,
deſiderium;
ſi, vt praeſens,
gaudium;
ſi, vt recenter alteri accedens,
congratulatio
mentem humanam occupat.
Hem!
ne ambagibus vtar,
quam illuſtre exemplum horum omnium,
et quantam gratarum animi commotionum viciſſitudinem
in nobis ipſis ſenſimus!

Cum

Cum
prouidentia diuina
SERENISSIMAE STIRPI VINARIENSI
SERENISSIMVM CELSISSIMVM PRINCIPEM
# ERNESTVM AVGVSTVM CONSTANTINVM
DVCEM SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM
ANGARIAE WESTPHALIAEQVE
LANDGRAVIVM THVRINGIAE MARCHIONEM MISNIAE
PRINCIPALIS DIGNITATIS COMITEM HENNEBERGICVM
COMITEM MARCAE ET RAVENSBERGAE
DYNASTAM RAVENSTEINII REL.
ACADEMIAE IENENSIS RECTOREM MAGNIFICENTISSIMVM
*PRINCIPEM ET DOMINVM NOSTRVM CLEMENTISSIMVM*
HEREDEM vnicum,
ſed olim annis minorem,
et ad tempus a ſolo patrio remotum,
dediſſet,
e longinquo quaſi proſpicientes felicitatem,
quam
diuinae corporis animique in illo dotes
rei publicae, eccleſiae, ſcholae
pollicebantur,
ſpes nos mulcebat atque oblectabat
dulciſſima.

Sed
vt in bonis arripiendis homines illis,
qui diuturnam ſitim cupiunt explere,
ſimiles eſſe ſolent:
ita nobis quoque,
pietati et fidei in PRINCIPEM OPTIMVM emancipatis,
felicitas,
ex praeſentia et imperio eius ſperata,
moras trahere videbatur;
vnde factum,
vt ſpes in deſiderium mutaretur.

Tandem vero
die XXIV Ianuarii
lux illa affulſit deſideratiſſima,
qua
SERENISSIMVS PRINCEPS,
poſt ſuſceptum cum nouo anno nouum imperium
ſedem ſuam Vinariam auſpicato ingreſſus,
aduentu atque praeſentia ſua
omnem vrbem et regionem illuminauit,
vitamque ciuium quaſi vitalem reddidit,
praeſentem nunc ſiſtens felicitatem,

quam

quam olim
vt futuram
ſperabamus, deſiderabamus.
Itaque,
aliis vrbibus terrae concuſſiones, ruinas, incendia
dolentibus,
aliis regionibus ſtrepitus armorum, et depraedationes hoſtium
timentibus,
certe inter ſpem pacis et metum belli
haerentibus,
gaude, Vinaria,
gaude, Iſenacum,
vt facitis,
quod Numen caeleſte terris exoratum
poſt tot rerum viciſſitudines,
venia aetatis
ab IMPERATORE ROMANORVM AVGVSTISSIMO
impetrata,
et tutela SERENISSIMORVM DVCVM finita,
SERENISSIMVM CELSISSIMVM PRINCIPEM
vobis dederit,
ætatis curſu Iuuenem, mentis lumine Virum,
PRINCIPEM
PIVM FORTEM FELICEM,
et
vt amplius dicam,
PATREM PATRIAE CLEMENTISSIMVM.
Gaudete, inquam, et gratulamini.
Nam
ſi de Traiano Plinius:
*ſi adhuc dubium fuiſſet,*
*forte caſuque rectores terris, an aliquo numine*
*darentur,*
*Principem tamen noſtrum liqueret*
*diuinitus conſtitutum:*
quanto magis nobis hoc praedicandum eſt,
curae Dei prouidae documentis in oculos vbique
incurrentibus?
PATRE SERENISSIMO,
filiis orbo,
ætate prouecto
non vlnis tantum, ſed cordibus ciuium exceptus
naſcebatur
PRINCEPS SERENISSIMVS;
verum duobus vix luſtris ſuperatis,
VTROQVE PARENTE SERENISSIMO
orbum ſe videbat,
et

ſub

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-773581-p0007-4

ſub oculis moratus TVTORIS SERENISSIMI,
per ſex annorum tractum, et quod excurrit,
ſolum natale non conſpexit.
At vero
quod Deus dederat fulcrum ſalutis publicae,
idem
conſeruatum, ornatum, auctum
reddidit ſedi patriae
ita,
vt votorum et exſpectationis pretium vberrimum
omnes boni tulerint.
Habes nunc enim, Vinaria exſultans,
PRINCIPEM CLEMENTISSIMVM DESIDERATISSIMVM,
cuius numine praeſente
rectis ſtatuetur honos,
culpam poena premet comes,
potentem humilis ſuſpiciet, non timebit,
humiliorem potens antecedet, non contemnet,
merces tribuetur labori debita,
ius et æquitas petentibus reddentur,
eccleſia, ſchola, commercia ciuium florebunt,
denique recte faciendi
aut voluntas incutietur omnibus,
aut neceſſitas imponetur.
Quis enim boni ominis non credat eſſe,
quod, veluti olim
communibus omnium bonorum votis expetitus PRINCEPS
dominica *Exaudi* in lucem editus fuit,
diuinisque auſpiciis
et ERNESTI AVGVSTI et CONSTANTINI
auguſtum accepit nomen:
ita nunc,
qua die dominica ante hos tres annos,
Chriſti pueri imitator exſiſtens,
fidei verae confeſſionem et caeleſtis ſapientiae ſpecimina
edidit;
eadem hoc anno
noui imperii PRINCIPIS initium
eccleſia ciuitasque religioſiſſime obierint,
ipſo diei auſpicio
auſpicati imperii ex pietate PRINCIPIS ſpem faciente.
Accedit, quod,
neſcio qua mirabili rerum conſenſione,
cuius hebdomadis initio ante hos octo annos
DIVVS ERNESTVS AVGVSTVS,
in ſua reſolutus principia,
animam caeleſtem caelo reddidit,
ſub eiusdem finem

SERE-

UNIV.-U. LANDESBIBLIOTHEK HALLE (SAALE)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-773581-p0008-0

SERENISSIMVS DVX

# ERNESTVS AVGVSTVS CONSTANTINVS,

ingreſſus Principatuum ſuorum imperium,
ſedem ſuam ingreſſus ſit,
eandem virtutem et fortunam
nunc ingreſſam animum FILII maioris eſſe,
quae magni PARENTIS olim fuerat,
ſignificaturus.
Et quid multa?
Litteras publicas SERENISSIMI PRINCIPIS,
prid. Cal. Ianuarii Iſenaco datas,
habemus arrham,
EVM
ſalute reipublicae, eccleſiae, ſcholae
nil prius, nil antiquius habiturum eſſe,
idque vnum deſiderari tantum,
vt obſequio et fide
tanti PRINCIPIS gratia dignos nos reddamus.
In publico igitur gaudio,
in acclamatione totius ciuitatis votiua
quid officio? quid pietati? quid exſultationi communi magis conſentaneum,
quam doctores Gymnaſii quoque
ad aram accedere votiuam publicam,
et pro auſpicato nouo regimine
votorum thura in illa accendere fragrantiſſima?
Id quod cras, Deo adiuuante,
hora IX matutina in Ill. Gymnaſio
nomine omnium communi facturus,
ſimulque,
recentiſſimis prouidentiae diuinae documentis
ſuperiora illius
in STIRPEM SERENISSIMAM VINARIENSEM ſpecimina
in mentem mihi reuocantibus,
DE PRAEEMINENTI DVORVM SAECVLORVM
IN SERENISSIMAM STIRPEM VINARIENSEM
GVBERNATIONE DIVINA
ſermone vernaculo declamaturus,
eamque ore pleniore laudaturus ſum.
Etiamſi enim vereor,
vt ſatis compta, polita, ornataque oratio videatur iis,
qui mera verborum lenocinia ſequuntur,
et multa dicendo faciunt, vt dicant nihil:
tamen,
dum egregie dixit Plinius:
*Animaduertimus etiam, Deos ipſos* (Deum) *non tam accuratis adorantium precibus, quam innocentia et ſanctitate laetari; gratioremque exiſtimari, qui delubris eorum* (templis) *puram caſtamque mentem, quam qui meditatum carmen intulerit;*

mentis

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-773581-p0009-9

mentis ſinceritate, quam profiteor, fretus
PRINCIPEM INDVLGENTISSIMVM
non elegantiae dictionum,
ſed pietatis fideique, quae menti ineſt deuotiſſimae,
rationem habiturum eſſe,
confido;
qua de cauſa
ILLVSTRISSIMVM IMPERII COMITEM,
AVLAE SVMMORVMQVE COLLEGIORVM MAGNATES,
EPHORVM VICARIVM SVMME REVERENDVM,
SENATVM AMPLISSIMVM,
ORDINEM DOCTORVM SACRVM,
omnesque reliquos omnis ordinis ERVDITOS
MVSARVMQVE PATRONOS,
vt praeſentia ſua ſolemnitatem noſtram ſcholaſticam illuminent,
votorumque noſtrorum
pro ſalute PRINCIPIS et auſpicato regimine
non teſtes tantum ſint, ſed ſocii,
humillime, obſeruantiſſime, amiciſſime
rogo.
TV vero,
PRINCEPS SERENISSIME,
in quem vnum tota ſe conuertit ciuitas,
quem aula, quem templa, quem ſchola, quem omnes intuentur boni;
TV,
in quo vno nititur reipublicae ſalus,
veniam des, quaeſo,
priusquam proluſoriam hancce finiam orationem,
ampliſſimis in artum reductis votis,
hac TE acclamatione proſequendi:
SIS PIVS ET FORTIS! SIS FELIX, OPTIME PRINCEPS!
TE SALVO, STANT RES PVBLICA, TEMPLA,
SCHOLA.

---

P. P. VINARIAE DIE V FEBR. MDCCLVI.

UNIV. LANDESBIBLIOTHEK HALLE (SAALE)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-773581-p0010-1

Pon Wc 802, 2° (130)

ULB Halle 3
002 271 206

f

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-773581-p0011-6

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-773581-p0012-2

WC 802, 2°7K

SVB FELICITATIS FVTVRAE OMINIBVS

# SERENISSIMO CELSISSIMO PRINCIPE

# ERNESTO AVGVSTO CONSTANTINO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM
ANGARIAE ET WESTPHALIAE
LANDGRAVIO THVRINGIAE MARCHIONE MISNIAE
PRINCIPALIS DIGNITATIS COMITE HENNEBERGICO
COMITE MARCAE ET RAVENSBERGAE
DYNASTA RAVENSTEINII REL.
ACADEMIAE IENENSIS
…AGNIFICENTISSIMO
… DOMINO NOSTRO
…ENTISSIMO
…TRIVSQVE PRINCIPATVS
…CATO SVMPTOS
*…VAM VINARIAM*
…IV IAN. MDCCLVI
…ANTER INGRESSO
…NIA ILL. GYMNASII
…ITER PRECES
ET
…TIONES VOTIVAS
*…RA IX MATVTINA MDCCLVI*
…CONCELEBRANDA
AC
…ITERQVE AVSCVLTANDAM
…M GRATVLABVNDI PVBLICAM
…LLEGARVM NOMINE
…ISSIME OFFICIOSISSIME
…MANTISSIME

INVITAT

…BVS CARPOV
…RIENSIS DIRECTOR MATHEM. P.P.
…CAE ACADEMIAE SCIENTIARVM
COLLEGA.

---

*…INARIAE,*
…S MVMBACHIANIS.

Weim.
24/1 1756
130 1,87

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-773581-p0013-8